





EXERCITATIO IVRIDICA 48

SPECIMEN III. ~~177164~~

*Observationes Singulares*

*Ad Pandectarum lib. I. tit. VI.*

*Continens* 22

Q V A M

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS AVCTORITATE

P R A E S I D E

D. FRID. GOTTLIEB ZOLLERO

COD. P. P. ECCLES. CATHEDR. MARTISB. CAPITVL. CVRIAE  
IN PROVINCIA SVPREMAE IVDIC. LV SAT. INFERIOR.  
NEC NON FACVLT. IVRID. ASSESS. ET  
ACADEM. DECEMV.

IN AVDITORIO ICTORVM

D. VI. AVG. MDCCLXXI.

P V B L I C E D E F E N D E T

CHRISTIANVS ERNESTVS VLRICI

DRESDANVS.

---

L I P S I A E

E X O F F I C I N A L A N G E N H E M I A .

10

HAETITATIONIVITIA

OPPORTUNITATEM

IN

CONSTITUTIONE

REPUBLICAE

LIBERTATIS

ET

JUSTITIAE

PER

LEGIS

ACTUM

ET

CONFIRMATIONEM

CHRISTIANAE

MAJESTATIS

ILLUSTRISSIMAE

REIPUBLICAE

LIBERTATIS

ET

JUSTITIAE

PER

LEGIS

ACTUM

ET





AD LIB. I. TIT. VI.

OBSERV. I.

*Non adaequata est sententia illorum qui ex lege 3. C. de  
Patr. potest. patri tribuunt ius praescribendi iudici sen-  
tentiam, secundum quam filius ob delictum  
commissum puniendus.*



Patriam potestatem iure antiquo patri domi-  
nium in liberos tribuisse nemo in dubium  
vocabit. Hinc CUIACIVS in *parat. cod.  
de patr. potest.* eam vocat quasi pro-  
prietatem, quam patres iure civili in liberos iuste  
procreatos habent. Quam ob causam VLPIA-



NVS qui l. 1. §. 2. ff. d. R. V. ab initio negat, quod liberi in potestate constituti vindicari queant, exceptionem tamen addit, nisi forte adiecta causa quis vindicet. *Si quis enim inquit petit filium suum, vel in potestate. Ex iure Romano: videtur mihi et Pomponius consentire, recte eum egisse: ait enim adiecta causa, ex lege Quiritium vindicare posse.* Ex eo fundamento ingentes iniquos tamen provenisse effectus constat, de quibus eum ex eruditorum virorum libris satis colligi possit, in praesentiarum nihil dicam. Id tantum mouet dubium, quod nonnulli Ictorum ex l. 3. C. de patr. potest. probant: patrem nempe liberos morigerosos iudici offerre eidemque sententiam, ex arbitrio, praescribere posse. Audiamus ipsa legis verba: *Si filius tuus ait Imperator in potestate tua est, res acquisitus tibi alienare non poterit. Quem si pietatem patri debitam non agnoscit, castigare iure patriae potestatis non prohibebis: acriore remedio vsurus, si in pari contumacia perseverauerit, eumque Praesidi Prouinciae oblaturus, dicturo sententiam quam tu quoque dici uoueris.* Ultima legis verba sibi vindicant, et exinde colligunt, sententiam, quam dabat Praeses ut puniatur filius, solius patris arbitrio fuisse commissam. Sed haec interpretatio aliena mihi vide-

tu



tur a mente Imperatoris. Volebat enim is, vt pater, si modica castigatio non emendaret filium, causam ad Praesidem deferret, nec sibi arrogaret decisionem, cum nemo iudicis et partis vices simul sustinere queat. Hinc etiam expresse iubet, vt Praeses dicat sententiam, quod indicant verba *dicuro sententiam*; non vero permittit, vt ipse pater iudicium ferat. Nec obstant vltima verba, *quam tu quoque dici volueris*; vtitur enim modo potenciali, et idem est ac si dixisset Imperator, Praeses eam dare debet sententiam, ex qua plenariam consequi poteris satisfactionem. Quod si contrarium sequimur, patri competisset potestas poenam facto filii duriorē dicere, quod principiis aequitatis omni ex parte repugnat: quapropter ad tollendam summam fauitiam et iniquitatem, iudici committitur decisio, cum constet, eum nihil quod regulis iustitiae aduersatur, suscepturum esse.



## OBSERV. II.

*Legitimation per subsequens matrimonium iure ho-  
dierno ad liberos adulterinos et ince-  
stuosos extendere licet.*

Iure Romano legitimationem per subsequens matrimonium effectum tantum habuisse respectu liberorum ex concubinato susceptorum, testis est Imperator §. 13. *I. de nupt.* ubi partum, qui a muliere libera procreatus, cuius matrimonium legibus minime interdictum fuerat, sed ad quam pater consuetudinem habuerat sub potestate esse adserit. Ast sublato legibus nostris concubinato quid iuris sit, videamus. Restringunt hanc legitimationem tantum ad liberos a personis solutis alias honeste viuentibus procreatos, adulterinos vero et incestuosos penitus excludunt. Rationem decidendi eam esse credunt, quod illorum parentes tempore concubinitus non poterint esse coniuges, quo praesupposito fictio retrotractus, quae in hac legitimatione fundamentum efficere debet, penitus deficit. Sed me consentientem non habent, nec de veritate conuincunt. Fictionem enim in legitimatione non esse





esse veram et necessariam causam optime demonstrat. *TITIVS in Iur. priv. lib. I. C. IX. §. 21.* Cui accedit, quod aequitas, quae quidem *l. 90. ff. de Reg. Iur.* in omnibus maxime tamen in iure spectanda est, contrarium suadeat; liberi enim ex turpissima licet conjunctione oriundi, nihil peccarunt, hinc eorum status adiuuandus potius, quam opprimendus est, ne melioris conditionis desperatio, ad inhonestum, noxiumque vitae genus inuitet, aut potius impellat. Obstat forsan *Cap. VI. X. Qui filii legitim.* vbi Pontifex disponit, quod si quis viuente vxore aliam cognouerit, et ex ea prolem susceperit, licet post mortem vxoris eandem duxerit, nihilominus spurius sit filius, et ab hereditate repellendus. Sed haec est singularis dispositio, quae vigeat temporibus Alexandri III. sub cuius pontificatu summum erat erga adulterium odium, et nuptiae inter personas adulteras penitus improbatæ. Quod regnante Innocentio III. tantum ad illum casum, si innocenti parti adulter insidias vitae struxerit, aut adulterium sub promissione futuri matrimonii celebratum, restringitur, *conf. c. VI. X. De eo, qui duxit in matrim.*

OBSERV.



## OBSERV. III.

*Consensus liberorum in legitimatione non est  
necessarius.*

*Generaliter ait Imperator Nou. LXXXIX.  
C. XI. in omnibus, qui per praedictos modos de-  
ducuntur ad legitimum ius, tunc hoc volumus ob-  
tinere, dum et filii hoc ratum habuerint. Nam si  
soluere ius patriae potestatis inuitis fillis non per-  
missum est patribus, multo magis sub potestatem  
redigere inuitum filium et nolentem, siue per ob-  
lationem ad curiam, siue per instrumentorum ce-  
lebrationem, siue per aliam quamlibet machinatio-  
nem, tanquam sortem metuentem paternam, iustum  
non est: neque imperii et legislatoris ponimus pro-  
prium,*

*Ex hoc loco colligunt plerique, legitimatio-  
nem quoad effectum patriae potestatis, sine con-  
sensu liberorum fieri non posse. Quam senten-  
tiam quoque probat BERGER in Oeconom. Iur.  
lib. I. tit. III. §. 13. addita ratione, quod agatur  
de praedicio liberorum, quandoquidem ex ho-  
minibus sui iuris fiant homines alieni iutis: cum*

OBSERV.  
qu



quo conuenit axioma iuris: Quotiescunque de aliquo singulari praeiudicio agitur, toties eius expresso et speciali consensu opus est. Sed dubito merito, vtrum haec legis dispositio hodie promereatur adplausum, Agit etenim Imperator de liberis naturalibus ex concubina susceptis, cum qua consortium iure Romano erat licitum. At moribus hodiernis mutata est facies, concubinatum nempe legibus penitus prohibitum profitemur. Cessante itaque concubinato, id quoque, quod in gratiam liberorum naturalium constituunt leges, penitus exsulat. Potiori eam ob causam iure consensum liberorum a legitimatione excludimus cuius rei rationes sequentes addere licebit. Partim repugnat reuerentiae, quam debent liberi parentibus, vt pater vel mater in contrahendo matrimonio arbitrio liberorum relinquat, vtrum consensum impertiri, vel denegare velint. Cui accedit, quod patria potestas, quam natura patri, qui generat partum nullo habito respectu ad matrimonium tribuit, ipsi auferri nequeat, quamuis effectus, quos iure ciuili patri concedimus, sint in suspenso, donec is conditiones legibus determinatas impleuit. Inter has potissimum refertur matrimonium, cum si de effectibus ciuilibus quaestio mouetur, nullum

B

agno-



agnoscant leges patrem, nisi quem demonstrant  
iustae nuptiae.

OBSERV. IV,

*Legitimati per rescriptum Principis ab Adfessoratu  
Camerae excluduntur.*

In eo quidem consentio Mynfingero *cent. 4. Obs 31.* legitimatos nempe per rescriptum Principis, ad adfessoratum Camerae non esse admittendos, ast ratio decidendi, qua utitur, quod tali modo legitimati nihilominus maneat infames de facto inter bonos et graues viros, summopere displicet. Quis enim quaeso adfirmare poterit, liberos extra matrimonium natos laborare infamia facti, cum non commiserint factum, quod vocamus turpe et ex quo fama et existimatio penes graues et honestos viros laeditur. Adflicta satis est eorum conditio ex delicto parentum, hoc vero ipsis imputari nequit et principiis aequitatis penitus repugnaret, si adflictis maiorem addere vellemus adflictionem. Cui accedit, quod rescriptum principis actum non reddat imperfectum, sed perfectum efficiat, cum intentio petentis ea sit, vt macula natiuitatis, quae alias liberis illegitimis obstat, penitus cesset. Sin hoc, vt natura

rae



rae et principiis legitimationis conuenit, est verissimum, liquido apparet, infamiam facti, quae nunquam adfuit, legitimatione subsecuta, non remanere. Alia hanc ob causam petenda est ratio. Suppeditat illam textus Ord. Cam. P. I. tit. III. §. I. *Desgleichen sollen die Beytzer alle eines ehrbaren Wesens uund rechter natürlicher ehrlicher Geburt seyn.* Dispositio itaque legis nullo habito respectu ad infamiam, eiusmodi liberos ab adfessoratu excludit. Ast quis quaeso concludere poterit, quoniam liberi legitimati per rescriptum Principis assessores Camerae prohibentur, ergo laborant infamia facti, cum saepiuscule is, cui nullum factum turpe imputare possumus, ob deficientem quandam qualitatem per legis dispositionem a munere subeundo arceatur. Sic in Camera Imperiali *Ord. Cam. P. I. tit. XIIX.* et aliis nonnullis iudiciis illi, qui non sunt Doctores, a postulando excluduntur, quamuis sint bonae famae et scientiis, quibus aduocatus carere haud potest, optime instructi.



*[Faint, mirrored bleed-through text from the reverse side of the page, appearing as a ghostly shadow of the original script.]*








Leipzig, Diss., 1771 L2







EXERCITATIO IVRIDICA

SPECIMEN III.

*Observationes Singulares*

*Ad Pandectarum lib. I. tit. VI.*

*Continens*

Q V A M

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS AVCTORITATE

P R A E S I D E

D. FRID. GOTTLIEB ZOLLERO

COD. P. P. ECCLES. CATHEDR. MARTISB. CAPITVL. CVRIAE  
IN PROVINCIA SVPREMAE IVDIC. LVSAT. INFERIOR.  
NEC NON FACVLTV. IVRID. ASSESS. ET  
ACADEM. DECEMV.

IN AVDITORIO ICTORVM

D. VI. AVG. MDCCLXXI.

P V B L I C E D E F E N D E T

CHRISTIANVS ERNESTVS VLRICI

DRESDANVS.

L I P S I A E

EX OFFICINA LANGENHEMIA.

48

1771/64

22

